

Q. D. B. V.
DISPUTATIONEM PHYSICAM
De
I D E I S
BRUTORUM
INSITIS,

Suffragante
Inclita Facultate Philosophica
publicè examinandam

sistit
PRÆSES
M. GEORG. CUNRADUS
Grommann /
Lipsiens. Medicin. Baccalaur.

RESPONDENTE
CHRISTIANO AUGUSTO PFUNDIO,
Oschatz. Misn. Medic. Studioſo.

Ad d. 21. Septembris Anno M. DCC. III.
H. L. Q. C.

LIPSIAE,
Literis CHRISTOPHORI FLEISCHERI.

Coll. diss. A
37, 61

a. XXXVII. 61.

3

V I R O
*Magnifico, Præ-Nobilissimo, Amplissi-
mo, Consultissimo atque Experientissimo*

DOMINO
**CUNRADO
FROMMANNO,**


Medicinæ Doctori longè celeber-
rimo, Physico apud Nordhusanos Or-
dinario, Consuli Seniori Meritissi-
mo, Proto-Scholarchæ Vi-
gilantissimo,

D O M I N O
P A T R I & P A T R U O

Filiali cultu humillimè prosequendo

D. D. D.





Cce, VIR MAGNIFICE, spe-
cimen aliquod Physicum de insi-
ta Brutorum notitiacircaresua-
rias: Levidense quidem illud o-
mninò est, & vix satis exascia-
tum, ut eo in loco reponatur, quem
illa merentur alias, quorum pri-
mæ pagellæ Viris inscribuntur Maxumis; nibilo tamen
minus Tibi, PATER AMANTISSIME, præcæteris
hanc meam dissertationem offerendam censui, cùm
& principium & finem studiorum meorum, imò me
totum Tuæ debeam Magnificentia, ipsa etiam insuper
vitæ meæ postulet ratio, vera in Parentes exigat pie-
tas, jubeat amor & favor plusquam Paternus, quem
& hoc usque in me conferre sustines constanter. Post
obitum etenim Mei Beati Parentis, mibi, prob dolor!
præmaturum, me non modò benignissimè excipiebas
& viatu & amictu per quinque annorum spatum
prosequebaris Nordhusæ, sed lustrum quoque jam agi-
tur, quod Deo adjuvante in hac Patria Academia
Tuis sustentatus ago sumptibus, ubi ea, quæ ad Studia
fuere necessaria, largiter suppeditasti, ac summam
consiliorum admonitionumque paternarum ostendisti

A 2 prom-

promptitudinem, ut eandem extollere verbis haud
mearum sit virium, licet aeternam & illibatam hujus
memoriam sim reculturus. Ne igitur tot curas ina-
nes Te suscepisse, totque sumptus absque ullo fructu
mutuo inde percepto impensos fuisse credas, in grati-
animi tesseram hanc meam Disputationem, pro acqui-
renda in Inclita bac Academia Lipsensi publicè præ-
sidendi facultate, Tibi, VIR MAXIME, humillimè
observantia offero. Accipe id munusculum benignis
manibus, illudque æqui bonique consule: certò etiam
confide, me nullam unquam, levissimam licet, gratum
Tibi testandi animum occasionem esse prætermisurum.
Plura non addo, præter votum, ut sc. Deus T. O. M.
diu sospitet ac servet Tuam Magnificentiam in Rei-
publicæ Nordbusanæ salutem, solatum ærorum ac
studiorum meorum emolumentum, idque animitus
exopto

MAGNIFICENTIÆ TUÆ

Obsequiosissimus Filius

GEORG. CUNRAD. FROMMANN,
Philos. Mag. & Medic. Baccal.

I. N. J.



I. N. F.



Uli de Brutorum natura hucusque commentati sunt , non videntur æquum semper de iis ferre judicium. Peccant sanè in excessu quidam, nimiùm vide licet bestiis tribuentes, rationem puta, vel analogum ejus ; quale quid præ cæteris egit Hieron. Rorarius in peculiari Tractatu, cui Titulus, quod bruta melius utantur ratione quàm homines. Sed longè plures occur runt, potissimum inter recentiores Cartesii discipulos, qui magis in defectu peccant , adeoque animantibus animam sensusque negant, existimantque nihil iis assignari jure , quod non ex structura corporis mechanica deduci valeat. Mihi cum sanioribus Philosophis mediâ viâ incedere ac mentem quidem ad sublimiora destinatam solis hominibus afferere ; animam autem moventem, sentientem, appetentem & in genere circa sensibilia occupatam cunctis animantibus assignare placet. Injurius namque in Deum Omnipotentem omnino censendus is est, qui vel ex una parte prærogativam homini concessam vocare in dubium, vel ex altera facultates animilibus clementissimè assignatas extenuare voluerit, postquam testimonium infallibile S. S. nos certissimos reddit de voluntate plenissima ejusdem Divini Numinis, universas res in suo ge-

A 3

nere

nere maximè perfectas bonasque producentis. Et quanquam mens stupidior aut occœcata præjudiciō hypotheseos vanæ non satis capiat, quo pacto id, quod materiale atque corporeum est, tam nobiles vires possidere queat; impium tamen est, Deum vel le nostro metiri modulo; Esto: corpus mathematicè spectatum sub artificis manu haud aliter, quam sub triplici dimensione, longitudinis, latitudinis, & profunditatis concipi, ergone corpus physicè consideratum illi par esse debet? haud putārim. Qui enim naturæ autor est, nullis adstringitur regulis Mechanicis, sed pro liberrimo suo beneplacito distribuit mirandas animi corporisque dotes inter cuncta viventia. Nostrum igitur est, has potius magnifacere ad amplificandam Supremi Numinis gloriam, quam propter ingenii nostri hebetudinem negare. Age igitur, videamus hâc vice, aliis jam sepositis, numquid bruta supra mechanicorum potentias valeant, speciatim, an & insitas quarundam rerum habeant ideas seu notiones. Faxit Deus T. O. M. ut omnia feliciter cedant!

C A P U T I.

Rejicit vanas, quæ brutis falsò assignantur, ideas.

§. I.

 I paulò attentius considerare velimus ideas seu notiones, quas in nobis met ipsis deprehendimus, apparabit manifestè, alias esse mentis, alias animæ, quam cum brutis communem habemus, sensitivæ vulgò dictæ. Ad mentem pertinent sublimiores cogitationes de Deo, de justo & honesto, de salute æterna &c. ad animam sensitivam, quæ materialia sunt ac sensibilia, odores, sapores, colores atque similia.

§. II.

§. II.

Sunt autem inter eas quædam nobis connatæ &c. insitæ, aliæ adventitiæ, aliæ denique productæ ac elicitæ ex connatis illatisve: verbi gratia, inscripta est nobis omnibus naturalis quædam regula æqui bonique, ut, quamvis nulla vel Divina, vel humana lex de illo nos admoneat, nihilominus conscientia nostra dijudicabit ea, nobis etiam invitis, juxta ideam vel normam nobis ingenitam. Sed adventitiæ sunt, quæ ope sensuum acquiruntur, visu, auditu, atque sic porrò; talis est notitia variorum linguarum, artium &c. in quantum nostros imitamus præceptores seu vivos, seu mortuos. Productas tandem appellabimus, quæ neque ab ortu nobiscum natæ, neque sensuum beneficio illatæ, sed ex his industriâ humanâ excogitatæ sunt: quo pacto fieri haud rarò assolet, ut supra Magistrum ingeniosior sapiat Discipulus.

§. III.

Cumque alia sit mentis humanæ facultas in ipsa rerum cognitione acquiescens, quam intellectum vocant, alia certam actionem intendens, quam voluntatem communiter appellant, nec incongruū erit ideas distinguere in theoreticas & Practicas. Nam & anima fortassis sensitiva interdum objecta externa percipit ac desinit in horum contemplatione, nonnunquam verò ulterius pergit ad appetendum & desiderandum: e. gr. elegantiā florū miratur oculus atque in eo subsistit mera speculatio quasi satiatus: verū palato arridentes fructus salivam, præterea movent atque appetitum, ut vix ac ne vix quidem abstinere quis possit ulteriū.

§. IV.

Jam verò quæritur, quo usque se Brutorum notitia extendat & quales in iis deprehendantur Ideæ. Ut igitur veritatis tramitem hoc in passu sectemur, neque illis plus justò tribuamus vel detrahamus, lubet primò de Ideis sermonem instituere, quas

quas pro suspectis ac superstitionis habemus: postmodum de reliquis, quas revera competere observamus. De priori solliciti erimus hoc in Capite, de posteriori seorsim Capite sequente.

§. V.

Pertinet huc non à plebejis modò, sed & viris quibusdam doctis adscripta brutis notitia futurorum contingentium. Vulgatissimum est, non paucas bestias præsigare tempestates imminentes, alias præscire inundationes atque aquarum incrementa; alias incendia vel ruinas ædium, mortem hominum, belli exitus atque similia: in quibus omnibus ipsam quoque mentis humanæ facultatem ac excellentiam sapere videntur, adeoque nos docere, quæ alioquin prorsus ignota forent.

§. VI.

Prognostica tempestatum recenset longâ serie *Plinius N. H. Lib. 18. Cap. 35.* speciatim præsigare animalia tradit his verbis: *Delphini tranquillo mari lascivientes flatum, e' qua veniunt parte; item spargentes aquam turbato, tranquillitatem. Loligo volitans, conchæ adhærescentes, echini affigentes se se aut barena saburrantes, tempestatis signa sunt. Rane quoque ultra solitum vocales, & fulicæ matutinò clangore, item mergi anatesque pennas rostrò purgantes, ventum, &c.*

§. VII.

Mirum sanè videri posset, quomodo bruta talia præscire futura valeant, nisi attentior consideratio clarè ostenderet, non tam futura, quam præsentia observari ab animantibus; ab hominibus autem connecti consequentia cum antecedentibus, quamvis eundem nexus neque intelligent, neque præsenti-
ant Bruta. Concedo equidem gallum gallinaceum e. gr. adver-
tere solem nubibus ex improviso tectum, aliove tempore ite-
rum discussâ umbrâ clariùs effulgentem, atque hanc subita-
neam mutationem voce significare sonorâ: nondum tamen
hinc

hinc sequitur, eum vel pluviam proximè imminentem vel serenitatem promittere certò.

§. VIII.

Idem esto judicium de reliquis. Simili namque ratione solemus Barometrum consulere, mercuriique descensum ac ascensum observare curiosius, atque hinc secuturam cœli inclemantium & inconstantiam colligere, quanquam tota hujus artificiosi Instrumenti structura nihil futuri præsentire, nedum prædicere queat. Utinam verò, majorem adhibeant diligentiam. Scriptores rerum naturalium in examinandis illis animalium prognosticis; tunc enim idem eveniret procul dubio, quod circa baroscopium annotarunt alii, nimirūm non semper Mercurium attendere insigniores aëris alterationes, sed nec raram hīc anomaliam observari, imò & contrarium interdum fieri. Videatur præ cæteris *Ludovicus Ferdinandus Marsilius in obs. de Bosphoro Thracico, & quæ hinc excerpta in suppl. i. Act. Erud. p. 208. habentur.*

§. IX.

Idem Plinius L. 8. c. 25. narrat, crocodilum parere ova, quanta anseris, eaque extra eum locum semper incubare prævinatione quadam, ad quem summò auctu accessurus eo anno est Nilus. Simile quid memini me audivisse observatum de Lutra & Castore, nempe si paulo altius supra littora fluminum habitationes suas affigerent, certo certius significare insigne aquarum incrementum. Confer. Schotti Physicæ Curiosaæ L. IIX. ubi de Castoribus ita loquitur: *impendente inundatione fluminis pridiè ædificium mutant atq; in altiorem locum transferunt.*

§. X.

Mihi de hac re ita cendum videtur: dum amphibia illa more gammarorum variant & cum aqua crescente altius ascendunt terramque perfodiunt, ut intus tegant & exspatiari queant pro lubitu, fieri haud aliter potest, quin foramina infe-

B

riora

riora alluente aquâ diruantur, superiora remaneant. Post lapsum
aquæ jam plurimum diminutæ, cernimus caveas, quas dese-
ruerunt, atque tum fortassis nova supervenit inundatio, non
prævisa quidem, nihilominus bestias ad pristinam sedem in-
vitans.

§. XI.

De Ciconiis, incendiorum vatibus, notiores sunt fabulæ.
Unicum hujus rei testimonium, quod ex relatione cujusdam
Abbatis Ordinis Benedictici refert Paulinus, libet ex M.N.C.Dec.
n. An. VI. in app. p. 74. adducere, sc. cum anno 1629. d. 27. Junii
monasterium flamma periret, nidulantes ibi Ciconias viderunt
pridiè frequentius ad ripam fluminis volâsse, haustamq; aquam
ad parietes & tecta templorum revomuisse. Eadem in observa-
tione notavit ex *Alexandro de Insula An. M. C. XIX.* illo die, quô
ignis cœlitus delapsus circa vesperam civitatem Corbejam fun-
ditus delevit, vespertiliones gregatim per aream, templum, dor-
mitorium & pomarium Cœnobii ipso meridie magno strepitu
volitâsse.

§. XII.

Ad prius autem respondeo, illius Abbatis relationem in
dubium vocari posse vel ideo, quòd illa non statim ab incendio,
sed post decursum 60. ferè annorum communicata fuerit, tan-
tum namque temporis intervallum non parum suspectam red-
dit fidem historiæ. Aut enim in pueritia id vidit vel audivit,
qua ætate facile potuit decipi: aut jamjam adultior adeoque
nimis ingravescente senecta pati postmodum oportuit, quam
circa illud tempus omnes experimur imbecillitatem omnium
facultatum.

§. XIII.

Secundum quod attinet, ambabus quidem largior *Alex. de*
Insula historiam se ita omnino habere, prout narratur, nondum
tamen exinde sequitur, vespertiliones habuisse præscitum illius
infor-

infortunii. Notum est, tenebras amare id genus volatilium, propterea etiam nomen à vespera, quâ plerumque apparere solent, inditum. Atqui rarum haud est, in ipsa meridie caliginem à nubibus densis oboriri, cùm nimbus vel tempesta immineat. Quid si hæc transferit in noxiè ac post aliquot horas redierit fulmine perniciose terribilis. Circumvoltarunt ergò vespertilioes non propter instans tonitru, sed quòd præcedentes tenebræ fortassis eos invitarent.

§. XIV.

Porrò sorices & glires deserere ruinosas ædes observatum est, etiam trimestri spatio antequam sint collapsuræ. Præsentient enim naturæ instinctu contignationum & ædium compagm sensim dissolvi illasque brevi pessum ituras, quod ex *Plinio* & *Levino Lemnio* tradit *Mizaldus* in *Cent. 5. Memorabil. aphor. 86.* & ex hoc ipso *Colerus im Hauf-Büche Lib. VI. c. 45.*

§. XV.

Crediderim autem hujus rei rationem non petendam esse ab occultis, sed potius à manifestis causis. Priusquam enim ædes corruunt, crebriores audiuntur fragores, quibus perceptis fugantur mures gliresque. Esto eundem sonum, dum domus crepat, diu ante per mensem unū alterumve sentiri, tunc quoque observabimus maturè fugatos ejectosque ingratos hospites; si verò proximè ante casum resonet tugurium, tardius etiam deserere nidos suos extra dubium est; siquidem non raro videmus, dum ædificia diruuntur, majorem murium gliriumque copiam expelli, ut vel interdiu in conspectum veniant transfugæ, vel noctu deprehendantur adventantes à vicinis.

§. XVI.

Scribit *Ornithologus*, citante *Aldrovando Lib. XVII. Ornitholog. c. 28.* aviculas quasdam parvas ab aucupibus nominari **Toden-Bögel**/quod imminentे peste frequentiores ac propriores civitatibus appareant, alias **Fliegenstecherlein**/ seu muscipetas,

tas, quoniam solis muscis vicitent, ut hirundines. Rationem suppeditat *Salomon Reiselius* in *M. N. C. Dec. II. An. IX. Obs. 34.* quippe qui existimat, effundi à morbosis & moribundis corporibus talia effluvia, quæ aërem inficiant, brutorumque magis sagacium nares feriant ac irritent. Ita namque audivit ipse vulturem non solum clamore inhiâsse prædæ dysenterici agonizantis, sed & advolantem fenestras rumpere voluisse in cubiculo ægri, cui adstabat. Alio tempore canem ululatu suo terribili circa vesperam prædixisse funus senis penè octogenarii, qui tota vita incolumis, ultimo die negotiis domesticis vacans, noctu apoplexia fortí correptus & subito extictus est.

§. XVII.

Nihil tamen est, quod præscientiam brutis asserere valeat. Quod ad aviculas, præsuppono illas muscis insidiari; has autem in urbibus frequentiores, quam in sylvis, arvis pratisque, actum quidem maximè copiosas apparere, quando æstas illis favet. Solent enim insecta omnis generis à pluvia ventisque frigidis abigi aut necari, à fervore autem constanti radiorum solarium insigniter foveri & multiplicari. Atqui hæc ipsa æstatis constitutio fervida plurimum confert ad morbos Epidemicos ac ipsius pestis invasionem & ulteriores progressus. Quid ergò mirum, si aves appareant copiosiores, cum escam reperiunt abundantem, etiamsi prorsus ignorent, quid hominibus accidat.

§. XVIII.

Quæ de vulture atque cane perhibentur, aniculis equidem placent, sed indigna viro præsertim literato. Novimus sanè innumeros mortuos absque prognostico canis, vulturis aut corvi: nec pauciores optimè restitutos, quamvis cum ægrotarent, prodromi tales præcesserint satis notabiles. Quid si enim bestiæ ab inedia, frigore, dolore, vel alia quacunque causa impulsæ noctu lamententur & ad istas præ cœteris ædes acce-

accèdant, ubi vigilantes audiunt homines, cumque dormientes
tum temporis ac sani tales brutorum querelas non attendant,
formidabiles unicè vel ipsis ægris, vel adstantibus existunt.

§. XIX.

Ethnicorum quondam erat observare cum cura volatum,
cantum pastumque animalium, atque hinc belli exitum, fortu-
namque aut infortunium suscipiendorum negotiorum augura-
ri. Aquilam certè supra caput Alex. M. volantem, nón sonitu
armorum, non gemitu morientium territam, diuque circa e-
quum ejus pendenti magis, quam volanti similem, Aristander
vates monstravit militibus in pugnam intentis contra Darium
Persarum regem, haud dubium victoriæ auspicium: nec spes
fefellit fiduciam Macedonum. *Conf. Curt. hist. L. IV. Cap. 15.*
è contrario

Sæpe sinistra cava prædixit ab ilice cornix,
si quid mali forsan impenderet, juxta Virgilium L. I. Georg. plura
hinc inde reperiuntur apud Horatium Lib. III. Od. 27. Alex. ab
Alex. Peucerum, &c.

§. XX.

Damnârunt autem postmodum ipsi etiam Romani vani-
tatem harum divinationum, quoniam lubrico, aut verius, nullo
niterentur fundamento. Quid? quòd Scriptura Sacra clarissi-
mis verbis eas rejicit Levit. 20. vers. 27. *Viri autem & mulieres, si*
erit ex eis pytho aut ariolus, omnino morte afficiuntur, lapidibus
obruuntur, cædis eorum causa est in eis. Iterumq; Deuteronom. 18.
v. 10. & 11. ne inveniatur in te, qui traducat filium suum aut filiam
suam per ignem: utens divinationibus, planetarius, aut conjector,
aut prestigiator: item utens incantatione aut requirens pytho-
nem, aut ariolus, aut necromantis.

§. XXI.

Ut taceam vanissimas illas prædictiones meliori jure ad
jocum vel aniles nugas referri, quæ hominem quidem simpli-

cissimum delectare, prudentem fallere non possunt. Quadrat
huc illud Camerarii Decur. 7. Probl. 9. solent Teutones iter facien-
tes pro bono habere omine, si lupus, pro malo, si lepus transferit. An
hoc, inquit, est de joco natum? Nam majores nostri, ut verè fortis,
sic faceti quoque fuerunt. Quis verò non mallet lupum transcur-
rere, quam adoriri se, leporem autem consistere, vel potius capi, ut
obsonium suppeditaret. Postea supersticio accessit & de joco fortui-
to nata est observatio divinationis.

§. XXII.

Sed nolo ulterius hic immorari aut tempus tērere confu-
tando ea, quæ nullibi probata sunt, saltem cuique liberum erit de
Ideis hujusmodi dubitare, usque dum alio pacto demonstratæ
erunt clarius; eodem namque jure negari possunt, quō affir-
mantur ab aliis nimis sanè credulis. Ad minimum, quam bru-
tis tribuunt futorum contingentium notitiam, valde suspe-
ctam reddit hoc unicum, quod præsagiis illis rarissimè respon-
deat eventus. Transeo igitur ad

C A P U T I I.

*Quod Brutis ideas quædam insitas
asserit.*

§. I.

Extra dubium est dari animalia quædam, mente quidem
destituta, informationis tamen capacia, ut per consuetu-
dinem cum hominibus & exercitationem addiscant
quam plurima, quæ admirationem non levem merentur. Pro-
lixum foret earum artes (ut sic loquar) solummodo enarrare
vel equorum, quippe qui dato signo ad nutum sæpè vel man-
datum magistri sui modò stant, modò jacent, supini pronive,
prout jusserit: incedunt quoque nunc dextrorum, nunc sini-
strorum,

strorum, currunt, saltant &c. psittacos Gallicè, Germanicè, Belgicè loquentes, corvosque cum cornicibus idem eductos nemo amplius miratur hodiè, postquam bestias robustissimas & maximè feras, ursum elephantemque exerceri ad lubitum videntur. Habent igitur bruta etiam notitiam seu ideam rerum quarundam aut actionum acquisitam ope sensuum, memoria postmodum confirmatam.

§. II.

Verum transeat, quod à nemine in dubium vocatur, nisi fortè ab eo, qui à grè fert animalia ultra machinæ vires sapere, qui sensibus suis fidem denegat, ut brutis sensus negare possit. Mihi hoc in loco propositum est, ostendere, quod majus est, sc. quod bestiæ insitas quoque habeant nonnullarum rerum notitias, quas ab aliis nunquam didicerunt, atque tales ideae non sunt huic aut illi individuo propriæ, sed vel omnino universales, & suo modo in omnibus reperiuntur brutis, vel certo cuiusdam generi communes atque ita competentes, ut in singulis ad idem genus pertinentibus similiter deprehendantur.

§. III.

Altioris indaginis est quæstio de notitia Dei brutis insita. Invocatio Dei videtur præsupponere hujus notitiam. Illa vero adscribitur brutis, nempe corvi pullis, *Ps. 147. v. 9. & Job. 39. v. 3.* Sed ne falcem mittere in alienam messem videar, controversiam illam non facio meam, quin potius Theologis, ad quos spectat, decidendam relinquo. Docent autem illi, etsi bestiæ in fide non orent aut clament more hominum, nihilominus clamorem ipsorum suo modo ad Deum tendere, omnium animalium altorem. Vid. Geierus in Psalm. & Seb. Schmidius in Jobum.

§. IV.

Converto me ad ea, quæ magis naturalia cunctisque obvia existunt. Talis est cantus avium, cuius ideam adeò firmiter

miter implantatam servant, ut hōc solō etiam è longinquo specificè distingui possint. Pulli profectò lusciniaæ, carduelis, coturnicis &c. strictè servant modulationem parentum, quamvis neque hos neque alias volucres ejusdem generis unquam audiverint. Si quis verò existimet, imitando alias aviculas addiscere omnia, is sciat, & primas eandem recitasse melodiam, antequam auscultare vel observare ullam potuerunt: ad hæc vix hoc pacto certam fore cantilenam, sed mistam dubiamve juxta præcentoris conditionem.

§. V.

Nec verò pennata unicè talem insitam habent ideam, ad cuius normam suos effingere cantus valeant, sed & reliqua bruta, exceptis piscibus insectisque omnino mutis, voces suas, etiamsi minus suaves fuerint, constantissimè formant, attende quæso ranarum vociferationes, latratus canum, ovium balatus, equorum hinnitus, grunnitus porcorum, taurorum boatus, luporum ululatus, leonum rugitus atque sic porrò. Annon æque accuratè ac distinctè à nobis cognoscuntur etiam delitescentia, ac si prodirent in conspectum, suamque staturam formamque integrum repræsentarent.

§. VI.

Longè plures ideæ sunt brutis insitæ, quæ circa vitæ conservationem versantur: atque harum quædam concernunt bonum seu utile, quod appetunt, aliæ malum seu damnum, quod fugiunt ac declinant. Etenim norunt bestiæ satis accuratè distinguere bonum à malo, ita ut in hoc passu hominem etiam ipsum antecellant, utpote quæ non modò à posteriori demum, id est ab eventu, judicant, vel effectu de bonitate vel pravitate illa objectorum, sed & à priori, antequam scilicet suo damno vel periculo sapere discant.

§. VII.

Et quemadmodum brutorum alimenta longè diversissima sunt,

sunt, alia scilicet carnivoris destinata, alia granivoris, atque sic
porrò; ita solent bestiæ vel sylvas, vel hortos, vel prata, vel arva,
vel aquas frequentare, i. e. loca idonei fœcunda pabuli. *Conf.*
Cicero de Nat. Deorum L.II. 47. 48. ubi hanc inter alia observatio-
nem lectu dignam habet; *anatum ova*, inquit, gallinis sèpè sup-
ponimus, è quibus pulli orti parum alantur ab eis, ut matribus, à
quibus exclusi fotique sunt: deinde eas relinquunt, effugiunt se-
quentes, cum primum aquam, quasi naturalem domum, videre po-
tuerunt: Tantam ingenuit animantibus conservandi sui na-
tura custodiam.

§. VIII.

Nam quis ostendit Cardueli semina sub pappo delitescen-
tia, aut pico teredines intra corticem arborum nidulantes, aut
gallinæ simò sepulta frumentorum grana, ut tùm operose illa
eruant: sciurus autem nec avellanam dentibus perrumpere
dubitat, ut rejecto duriore putamine nucleus comedat; adeò
curiosæ sunt etiam in præparando cibo bestiæ, ut seligant utile
seu optimum ab inutili; nam & minora semina Cannabis, na-
pi, papaveris, quamquam integra deglutiri queant, decorticantur
tamen ab avibus, à linaria, passere, ligurino, &c.

§. IX.

Magis mirum est à plurimis animantibus pabulum quo-
que colligi & asservari ad futuros usus, & explendam aliis tem-
poribus reddituram famem. Instar omnium sit Cricetus, quip-
pe qui plenis buccis frumenta pariter & olera congerit, inque
suum antrum copiosè abscondit, & quidem singula propriis
distincta caveis, ut pro lubitu & arbitrio iterum repetere illa va-
leat, urgente necessitate, absque difficultate vel confusione ulla.
Si mavis, audi Sacrum Codicem, *Proverb. 6. v. 6. vade ad formi-
cam, ô piger, & considera vias ejus, & disce sapientiam: que, cùm
non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in estate
cibum suum & colligit in messe, quod comedat.*

C

§. X.

§. X.

Quid dicam de nidorum & habitationum elegantia, varietate, commoditate, securitate, &c. Gammari certè seu cancri fluviatiles latibula sua in littore quærunt, ut interdiu tuti ab hostibus intra foramina terræ se abscondant, noctu ad escam vicinam egrediantur. Vulpes, taxus, cuniculi non unō contenti sunt antrō, sed plures in id parant aditus, ne facilè à venatoribus capiantur. Plures ex avium genere in arboribus cavis nidulantur, quas per exiguum foramen intrant, aliæ cacumina excelsissima arborum sibi eligunt spinisque ac sentibus muniunt habitationes suas. De aranearum industria hoc in passu audiamus Kircher. in Mund subterrān. Lib. XII. Sect. 2. Cap. 6. si naturam hujus animalculi spēctes, omnem sanè admirationem superat: boni enim Geometræ & astronomi partes in telis contexendis explet. Quid enim tela, quam texit, aliud est? quam astrolabii figura, in qua & circuli verticales & horizontales exhibentur, tantâ & tam æquali filorum ab invicem distantiâ, ut circinò usâ videatur, neque hoc sine fine, quem potissimum in muscis capiendis intendit: rectè namque sibi texit fragile quidem & sustinendo corpusculo oppido proportionatum opus atque ita simul & textorem, Astronomum, Geometram, Funambulonem & Venatorem agit, &c.

§. XI.

Nec minorem gignit admirationem, quando cernimus quasdī volucres sua mutare domicilia & ante hyemem abire, quod frigus metuant, & redeuntes primō vere suos repetere nidos, ut per æstatem usque ad initium autumni nobiscum degant. Ita Jeremias Cap. 8. v. 7. loquitur: milvus in cœlo cognovit tempus suum, turtur & hirundo & ciconia observat tempus adventus sui. Et quamquam de hybernaculis earum minus certi simus, valdè tamen probabile videtur, eas interea sole sequi, terramque australē visitare, itaque per semestre ibi tempus

tempus subsistere, sicuti per 6. reliquos menses veris & æstatis loca nostra septentrionalia colere deprehendimus. Ponamus autem easdem volucres non egredi extra limites nostros, prudenter nihilominus signum foret haud contemnendum, quod securitatis gratiâ talem sibi locum eligant, ubi à nemine facile reperiri queant, quodque redeentes, elapsò certi temporis intervallò iterum repetant nidos, tanquam bene memores pristinæ felicitatis.

§. XII.

Saltem ex his manifestè liquet, quo usque bruta impellat naturalis instinctus studiumque conservandi vitam suam. Nec enim appetunt tantum, quæ salutaria vel commoda censem, sed & respuunt, declinant, fugiunt, quæ nociva sciunt. Novimus non semel pueros imò & adultos interiisse venenò cicutæ, solani, papaveris &c. quales historias refert passim *Weppferus* in *Tr. de Cicuta aquat Paul.* Q. 13. pag. 263. 424. & digress. de febr. mal. p. 2. *Matthiol. Comm. in Dioscorn.* L. VI. Cap. XI. *Wagnerus* in *M. N. C. Dec. II. An. X. observ.* 108. Quis vero nescit bestias diligentissimè sibi cavere ab omni veneno, nec unquam degustare modè nominatas herbas aut hyosciatum aut Esulam?

§. XIII.

Non male *Willius de anima Brutorum* Cap. VI. p. 51. Peccora etiam in pascuis degentia circa herbarum vires supra hominem sapiunt, primò libamine, quæ in alimenta, quæ in Medicinam nata, imò quæ venenò & morte imbuta fugienda sint, facile discernunt, cum nos interim, nisi experientia edocet, virtutes illorum & vim deleteriam prorsus nescimus, adeo ut *Plinius* conqueratur, pudendum hoc, omnia animalia, quæ sunt salutaria ipsis, nosse præter hominem.

§. XIV.

Minùs mirarēre, si, quæ ingrata odore vel sapore depre-

C 2

prehen-

prehenderunt bruta, negligerent inter alia gratiora: sed manus est, etiam coacta resistere omnibus modis. Id nuper in cane quodam observavi, cum ei curiositatis ergò opii Crudi ʒ. pulmento lacteo involutam præberem, recusavit bolum ac obstatit adeò contumaciter ore clauso, ut non sine violentia tandem aperiendum, baculoque bolus intrudendus esset. Quo facto elapsoque bihoriō stupefactus in totum corruit, oculisque intensè rubris salivare copiosissimè cœpit, atque ita mortuus est: unde, quæso, bestiæ constat de virulentia Opii?

§. XV.

Quid, inquit, Seneca L. I. Epist. 122. est, quare pavonem, quare anserem gallina non refugiat, quum tantò minorem & remotum quidem accipitrem fugiat? quare pulli felē timeant, canem non timeant? apparet illis scientiam inesse nocituri non experimento collectam: nam, antequam possunt experiri, carent. Deinde, ne casu existimes hoc fieri, nec metuunt alia, quam debent, nec unquam obliiscuntur. Hostem ovium, quem nunquam monstravit pastor, lupum adeò reformidat pecus infirmum, ut ad ejus conspectum illico in fugam convertatur. Nec alia superest ratio servandæ vitæ lepori, columbae, si à venatoribus, falconibus vulturibusque petuntur, quam quæ celeritate pedum alarumve præsidio innititur.

§. XVI.

E contrario aper, ursus, leo, & in genere, quibus robur sufficiens, cornua, unguis ac dentes à natura dantur, non æquè timent adversarios suos, sed vel imperterriti expectant impetus primos vel præveniendo invadunt eosdem, ac tandem vindictam sumunt de invasionibus plerumque cruentam. Quasi verò naturali jure ad defensionem, ad Bellum, ad Cædes obligantur, prævocarentur, impellerentur. *Vid. Zoologos binc inde, Gesner. Aldrovand. Jonston. Schottum, &c., si veteres mavis, Aelianum, Albertum Magnum, &c.*

§. XVII.

§. XVII.

Hæc, ut puto, sufficere possunt ad demonstrandas ideas brutis insitas, quibus unicè ad vitæ suæ conservationem instruuntur à natura, sed nec minùs attendi merentur, quas circa propagationem sui generis possident. Audiamus iterum Williſum l.c. cunctis animantibus congenita quedam in doles & habitus à natura insunt, quibus illa secretò impulsu & cœcâ potestate ad actiones, quæ tum sui conservationem, tum speciei propagationem spectant, edendas instigantur: atque hæ dotes originaliter concessæ, prima quasi scientiæ practice, quâ brutorum animæ imbui solent, lineamenta seu stamina constituunt.

§. XVIII.

Infantibus profectò nostris discriminem sexū incognitum est, nec ante pubertatis annos coitum appetit homo, libidinis ignarus. Ast bruta sunt, (loquimur saltem de Insectis) quæ paucos dies aut certè menses nata generationis negotium strenue suscipiunt, eoque citius id sibi datum putant, quo minùs diuturna vita iis suppetit. Pediculos, pulices, cimicesque allegare, hoc in loco non vacat, consideremus modò bombyces & reliquas erucas, quæ brevi tempore post nativitatem sub hac facie apparent, quam primâ verò in papiliones mutantur, coēunt, pariunt, moriuntur. Quis verò, si virtus implantata deficeret, instruere talia insecta & admonere sui officii ausit.

§. XIX.

Vix quisquam nostrum tam perspicax est, ut sexum distinguere in hujusmodi animalculis, non dicam aliis etiam majoribus brutis, possit. Ovum ovo non est similius, quam piscis pisces, columba columbae. Non coēunt autem mares cum mari bus aut fœminæ cum fœminis; Sed quæ diversi sunt sexū. Quid? quod non pauca tam castô fruantur conjugio, ut quivis maritus suam, aut si plures fuerint, suas uxores sibi servet, alienas negligat. Testis est Harvæus de generat. animal. Exerc.

LXVI. p. 431. Quilibet mas, ait, femellas suas omnes novit, nec aliquam errare patitur à grege suo, sed cursu factò balantem ocyùs revocat interque conjuges obambulat; Zelotes crebrò circumspectat, gregemque proprium circumagit, diligens custos. Si forte fœminam alienam offenderit, non ardenter eam insequitur, sed abire sinit: sin autem mas alter ad hujus gregem venerit, statim occurrit obviām & intendit cornua.

§. XX.

Quem putas animalia, si machinæ sunt meræ, modum coëundi docuisse aut exercuisse in hoc opere? De piscibus e- quidem non satis constat, quoniam in conspectu hominum vix tentant congressum, nihilominus ostendit conformatio corporis, modò vulgari eum fieri non posse. Certè anguillarum, serpentum ac viperarum nec non cochlearum amplexus mutui singularissimè fiunt. Magis notum est, quomodo pennata concumbant exemplò galli comprimentis gallinam, vel passeris salaciōris, atque horum coitus uti crebrior, ita brevior ac ferè momentaneus est. Inter quadrupeda quoque variatio non levis est, ad minimum omnes canes atque lupi, utpote quibus vesiculae seminales deficiunt, aversam exercent venerem & coharent, ut cum Jonstonio loquar, quale quid in cœtero bestiarum genere non observatur, præterquam in multipedibus, scarabæis, araneis, &c.

§. XXI.

Congrediuntur autem quævis animalia suô modô & quod mirum est, pleraque statim temporibus, mediâ ferè hyeme nrsi, lupi, feles, anseres, pavonesque: vere Caballi, sciuri, ac ranæ: æstate boves, oves, Castores; autumnô Cervi, damæ capræque: Videlicet id observant potissimum, ut opportunum partui tempus inveniant: carent etenim, ne frigus brumæ recens natos offendat. Itaque cuniculi, columbæ atque similia bruta, quoniam breve tempus uterò gerunt atque generationis negotium

tiuum

tiū citō absolvunt, hyeme saltem feriantur, reliquis mensibus
coēunt pariuntque aliquoties.

§. XXII.

Notatu dignum est fœmellas plerasque, si gravidæ fuerint,
marem non admittere, ac vicissim à maribus haud appeti. Tau-
rus certè à gravidis abstinet, spontèque à conceptu, divortiō
quasi factō, secubat, ac ut in Epiro maxime videre est, trium ple-
rumque mensium spatiō non apparet, sed seorsim & à vaccarum
confortio coituque pascitur, teste *Varrone de R. R. L. II. c. 5.*
Winterus autem in Tr. de Re Equaria Part. 2. Cap. XI. p. 106. Certis-
simum signum conceptionis attendere jubet, si equa elapsis post
congressum 10. vel 13. diebus admissarium totis recuset viribus.
Unde igitur animalia sciunt, quod homines etiam curiosiores
ac prudentiores fugit?

§. XXIII.

Dum partus instat, secedunt ab armentis & consortio ho-
minum pecora, quæruntque locum commodum ac nullō obste-
tricante pariunt, funem umbilicalem, postquam fœtus in lucem
editus est, rumpunt, nemine jubente, aptumve modum mon-
strante. Aves autem colligunt ova sua in nido, usque dum jam
impleverint numerum, deinceps fovent eadem tanta cum cura,
ut & haud rarò mares insideant, nec refrigerari patiantur, quum
femellæ ad tempus pabuli ergò illa deserunt. Elapsis incubationi
destinatis diebus juvant non modò erumpentes pullos frangen-
dō testas, sed & putrida, si quæ adsint, ova rejiciunt protinus.
Verbō: talem adhibent diligentiam, ut majorem non possent,
etiam si ratione prædita forent.

§. XXIV.

Jam verò amore incredibili prosequuntur pullos suos
statim de idoneo solliciti alimento: si è nido egredi valeant, à
matre gallinā, v.gr. eò ducuntur, ubi conveniens reperiunt pabu-
lum; sin minùs, affertur à parentibus, quantum ad satiandam
prolem

prolem satis est. Quæ vivipara sunt bruta, interim recens natos nutrire lacte maternō haud dubitant. Mirum est vaccam vitulum suum à quovis alio dignoscere, ovemque inter longè plures non nisi agnello proprio concedere ubera, quod profectò sine peculiari discretione vix fieri potest.

§. XXV.

Defendunt quoque pullos suos animalia mirum in modum. Gallina convocat tegitque alis suis, quem peperit gregem, ac tuetur strenuè contra milvi invasiones. Anser atque anas corvo etiam sat robusto eunt obviām prohibentque, ne proprius ad infirmam sobolem accedat, prædamque reportet. Imò feles post partum, si fortè se minus tutos existimant, catulos suos aliò deportant & abscondunt solerter in loco, si fieri possit. Ecce Philostorgiam in brutis vel ideo magis admirandam, quòd ratione usuque mentis destituantur.

§. XXVI.

Plura jam non addo: existimo enim satisfecisse proposto meo, atque his paucis clarissimè demonstrasse in brutis revera dari connatas quasdam notitias sive ideas insitas, quarum ductu ad varias actiones impelluntur, perfectionem animalium evidentissimè docentes. Deo Creatori & Conservatori totius orbis, Cœli ac Terræ, ad cuius gloriam facta sunt omnia, sit laus & honor & gloria.



Coll. diss. A. 37, misc. 61